



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Partitio officiorum, quæ pestilentiae tempore præstanda sunt. Cap. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

Partitio officiorum, quæ pestilentia tempore præstanda
sunt. Cap. II.

S V M M A R I V M.

- 1 Caritatis officia multa pestilentia tempore præstanda.
- 2 Officiorum ipsorum alia propria, & alia communia: & ad quos illa spectent.

Int igitur permulta officia, quæ pestilentibus temporibus Christiana charitas docet præstanda esse, siue tempus spectetur, quod primum pestis suspicio, periculumque imminet; siue locus inspicitur; in cuius viscera, illa miserandum in modum sese infudit; siue hoc ipsum consideretur, cum scilicet, ea paulatim languescente, non solum spes recuperandæ publicæ valetudinis ostenditur, sed, cum omnem à morbo confirmationem maior in dies progressio fiat, demum omnis inde conualescentia existit.

2 Atque in ijs quidem officijs alia propria vniuscuiusque sunt, utpotè Episcopi, & Parochi, & Cleri, tam secularis, quam Regularis, & Magistratus, & patrisfamilias, & omnis denique populi: alia uerò quædam communia, quæ eiusmodi sunt, unde illa, quæ propriè, præcipueque à singulis præstanda sunt, proficiscuntur, atque emanant.

Officia multiplicis considerationis communia.

Cap. III.

S V M M A R I V M.

- 1 Officia Communia cuius considerationis. 2. 3.
- 2 Peccatum, pestilentia causa.
- 4 Ad eam auertendam, quæ remedia adhibenda: Quodque ea in re Episcopi, Parochi, & Concionatoris officium. 5.

In communibus porrò officijs, in quorū assidua cogitatione, atque vltro omnes sese pie exercebunt, hæc facienterunt. Primum secum tota mentis cogitatione, totoque animo reputabunt omnes homines, quæ, & quantalpetulentia eius sit, quam tetra illius contagio, quantas, & quam uarias